B. N. C.
FIRENZE
1063
8

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# SERENISSIMO PRINCIPI
# FRANCISCO MARIÆ
# AB ETRURIA
*GRATI ANIMI OBSEQUIUM*

ILLUSTRISS., AC REVERENDISS. PRÆSULI

# HIERONYMO ARCHINTO

Archiep. Tarſen. & pro S. R. Sede ad Regiam Etruriæ Celſitudinem Nuntio Apoſtolico,

SUB EJUS ADVENTUM FLORENTIAM,

A PATRIBUS SOCIETATIS JESU

In Templo S. Joannis Evangeliſtæ

*In Obſervantiæ ſignificationem*

EXHIBITUM·

Per Academicos Sidereos Claſſis Rethoricæ

ARCHISIDEREO LAURENTIO FRANCESCHI EQUITE HIEROSOLYMITANO

Authore verò, & Rhetore

JOSEPHO SCAPECCHI EJUSDEM SOCIETATIS

Eidemque Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Præſuli

AB ABBATE,& EQUITE JOSEPHO SUAREZ DELLA CONCA

*ACADEMICO SIDEREO,*

Qui typis mandandum curavit,

*DICATUM.*

---

FLORENTIÆ Typis Michaelis Neſtenus, & Antonii M. Borghigiani.

*Superiorum permiſſu. MDCCXI.*

1063.2

Digitized by Google

# ILLUSTRISS., AC REVERENDISS.

# P R Æ S U L.

HOraria de laudibus Sereniſſimi Principis FRANCISCI MARIÆ ab Etruriâ Celebritas, quam Tua, Præſul Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime, Præſentia decoravit, ut certum Vadem, ac Vindicem Æternitatis accipiat, Tibi eſt inſcribenda. Quod-



Digitized by Google

cunque præter Te obtrudat ſe mihi Nomen, minùs jucundum interpretor & eidem Principi, & Amplitudini Tuæ, & Generi meo. Illi quidem, qui Tuâ in Virtute, & Sapientiâ vivum nactus Magnanimitatis Suæ ſimulacrum, ſuperſtitem ſeſe in Te videt, ac pęnè Immortalem. Tibi verò, qui apud tantum Principem gratioſiſſimus (vèl tum cùm Oſtro ornaretur, Oſtrum viciſſim exornans ſuum) ſummum & Exiſtimationis, & Benevolentiæ locum obtinuiſti: Quo vèl ſolo nomine præſtò Tibi, parataque aderat ad limen Gloria, & Famæ Immortalitas; quam tamen [ut Sapiens es] propriæ Virtuti, quàm alieno præſidio deberi, glorioſiùs ſemper putaſti. Meo denique Generi injucundior, ac propè injurioſior forem, ſi Opellam hanc, in cujus potiorem vocatus ſum partem, Nomini Tuo nuncupatam inviderem. Pervetus ſiquidem Mihi, domique nata rei hujuſce cauſa eſt: ex quo enim Generoſiſſima ARCHINTORUM Familia, quà Sago, quà Togâ, quà Faſcibus, quà Tiaris, quà Senatoriâ, Sacrâque Purpurâ cum primis cla-

clara, Florentiæ in Eminentiſſimo Patruo Tuo Sui copiam fecit, quo tempore Vir ampliſſimus hanc ipſam, quam Tu, eâque, quâ Tu idem Sapientiâ, Spartam ornaret; non potuit Ferdinandus Genitor meus, quin, tantum demiratus Virtutum Specimen, ſingulari Maximum Præſulem veneratione proſequeretur; ſingularibus rurſus ab eodem (quâ eſt Humanitate) Benevolentiæ ſignificationibus affectus: ad quam officiorum viciſſitudinem jucundiſſima in Hiſpaniis [ ubi uterque per idem tempus apud Carolum II. Catholicum Regem, Tuus quidem Patruus pro Sancta Sede Apoſtolica, meus verò Parens pro Regiâ Etruriæ Celſitudine Legationem gerebat ] acceſſio facta eſt. Ut gloriandum magnoperè mihi ſit, felicioribus me auſpiciis ſub Tranſpadanam ARCHINTORUM Domum adoleviſſe, quàm qui ſub extremam cœleſtis Padi, ſeu mavis Eridani, Stellam naſcuntur; (*) cujus Horoſcopum ampullans Aſtronomorum ja-



* *Acarnar* Stella hæc cœleſtis Eridani apud Arabes appellatur. *Hier. Vital. lex Math.*

ctatio Natalibus fauſtiſſimum venditat. Vide quæſo, Illuſtriſſime Præſul, qua nam fide literarias haſce lucubrationes Nomini eximerem Tuo, cui me, meaque Studia lege quadam Naturæ ſentio referri oportere. Reliquum eſt, ut exhibitum Tibi obſequium quâ ſoles, quæque ingenita Tibi eſt, Benignitate ſuſcipias, & clementi fovens Patrocinio Clientem Tuum, Te dignum reddas Patrono. Vale.

*CAN-*

Digitized by Google

# *CANDIDE LECTOR.*

*Monitum te volo, Neceſſitatem, Fatum, Fortunam, & ſi qua id genus alia legeris lucubrationibus hiſce inſerta vocabula, non prophana hîc intelligi ex Indigitamento vanæ ſuperſtitionis Numina, ſed unum Divinæ Mentis Ordinem res humanas æquiſſimè moderantem.*

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI

# FRANCISCO MARIÆ AB ETRURIA

*PARENTALE OBSEQUIUM.*

## Prolegomenon.

POST diuturnum triſtiſſimi Funeris luctum, & longè poſthumas lacrymas, adeſt aliquando expetita votis, exorata ſuſpiriis, dolori par Conſolatio; & grandi pretio, cumulatoque fænore moram redimit, cladem compenſat, Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Præſul. Tam lugubre ſiquidem Sereniſs. Principis Franciſci Mariæ ab Etruriâ, quem longùm flevimus, Deſiderium, neutiquam vulgari fuerat levatione ſedandum; verùm ejuſmodi, per quam tanti Herois Inſtar aliquod poſſet oculis ingeri, Virtuſque amiſſa, ſui velut in Imagine expreſſa, ac pęnè rediviva ſpectari. Quænam verò illa, niſi, quam præſentem cernimus, cujus in ore, conſpectuque verſamur, Tua ſcilicet, Præſul ampliſſime, omnibus abſoluta numeris Dignitas, & Sapientia? Datur tandem acerbiſſimi Vulneris con-

contumaciam frangere , datur Mœroris improb inſultare. Qui unus Virtutum præſidio, & fortitudine animi ærumnas noſtras magnam partem levaret, HIERONYMUS ARCHINTUS præſto eſt. Tam pręclaram in ſpem minimè rudes ingredimur: informavit nos pridem Eminentiſſimi Patrui Tui hac ipsâ in Urbe ſpectatiſſima Virtus, per eoſdem Te gradus, ad eadem Faſtigia perducens, Te, inquam, jam ponè ſequentem, parem futurum. Hodiernus itaque dies, quo Tu felices illos,ac propè geſtientes parietes implesAmplitudine Tua,& SIDEREORUM, (*) quę in hujus Rhetoricę claſſe adoleſcit, Academiam, Oris Tui Dignitate ſerenas, ac beas; hodiernus, inquam, idemque auſpicatiſſimus dies informem ſitum, ſqualoremque ab iſtâ planè abhorrentem luce, detergit; cultumque induit tanto Nomini concolorem.

Te nos adeò, Illuſtriſs. Præſul, per Sapientiam, & Magnitudinem Tuam etiam atque etiam obſecramus, ut, quas laudes de Sereniſſimo Principe celebrandas in hanc diem [ diem Tibi ſepoſitam ſacramque ] diſtulimus, ex ore Adoleſcentum patienter audiendo efficias Tuas: Si quid verò præteriti luctus reſiduum ſit, Præſentię MAJESTATE ita diſcutias, &, celſior veluti Sol, nubem omnem Triſtitiæ radio Benignitatis evincas, ut ipſum tandiù defleti Funeris Nomen, Liberalitatis Tuæ Luce, amabili quaſi funere, tumuletur.

(*) *Sidereorum Academia in Claſſe Rhetorica Collegii Flor. Soc. Jeſu inſtituta eſt Ann.* 1707.

# DE LAUDIBUS
## *Sereniſs. Principis FRANCISCI MARIÆ ab Etruria.*

## ORATIO.

SEreniſſimi Principis FRANCISCI MARIÆ ab Etrurià rebus humanis nuper exempti laudes celebraturo liceat mihi hodiernum diem à communi Oratorum vel lege, vel conſuetudine vindicare, Illuſtriſsime, ac Reverendiſsime Præſul, qui Heroem quempiam vitâ functum oratione funebri proſequentes, plurimi ſunt in incuſandâ fatali neceſſitate, quæ tam præſens Humanæ Reipub. Lumen inviderit, deque medio Magnum rerum Præſidium ſuſtulerit. Quæ mihi de Principe Sereniſs. habenda ſuſcipitur, oppoſitam planè ſemitam ingredietur, Oratio. Nihil per hanc exagitabitur ſcilicet Mortis ſeveritas; Nullus de eâ ciebitur queſtus, nulla penitus expoſtulatio: quin potiùs [ videte quid mihi animorum excitetur e luce Liberalitatis, & Sapientiæ veſtrę] ſic ſum affectus, ut Neceſſitatis ipſius cauſam mihi agēdam putem: Abſolvendam videlicet eam eſſe Inclementiæ, ab eâque invidiam omnem, ſi quâ ex invidiâ laboret, deprecandam. Vèl hoc ipſum verò præſtiturum me fore confido, Auditores, ſi maxima, quem commendamus, Viri merita ob oculos ponam. Nimirum ubi quis Altitudine animi, clariſque virtutum titu-

lis

lis popularem, atque adeò prope humanum ſupe
di videatur modum eum illicò pertinere ad Superos per ſe liquet. Tum denique nullus patet lamentis locus, nullus aditus querimoniis: Cæli nempe res agitur, cùm Heroes de ſtatione vitæ decedunt. In exemplum ſunt, non in poſſeſſionem dati. Et FRANCISCUS quidem MARIA in eam impertitus videtur gratiam, ut Documentum ſuppeteret Animi Florentiſſimæ Fortunæ egtegii Contemptoris. Cui quidem Scenæ (ut tritum verbum uſurpem) ubi ille ſervivit, a Cæleſti Curiâ (hoc .n. ſperare Pietas jubet) ſuo jure reperitur. Numquid igitur in invidiamCæli vocetur hoc lugubre deſiderium, Cæli, inquam, qui pluribus ſibi nominibus debebatur, eum unicè repoſcentis? Ne hilum quidem de noſtro detractum eſt. Precariò Principem, ſic ut optima quævis, habuimus: reponendus fuit. Huic ſiquidem veluti Sacramento adacti ſumus Mortale genus, ut Felicitatem vix dum primoribus [quomodo ajunt] labris libatam Auctori litemus. Unum igitur reſtat illud, qualis quantusque fuerit Princeps Sereniſſimus ut exponam; quò Mortis, ut ſic dixerim, Innocentia evincatur. Age: ne vos detineam pluribus, Auditores; neu porrò exlex mea divagetur oratio; ad hunc ego ſcopum cuncta argumentorum jacula dirigã, ut oſtendam, *Sereniſſ. FRANCISCUM MARIAM ab Etruria in Fortunę amplitudine Magnum, Majorem verò in abdicatione Fortunæ*. Ubi hoc, adſpirante veſtrâ Benevolentiâ, confirmavero; peroravi.

NAtura Mundo Principem verè Magnum provida Dei Mens, nihil antiquius habuit, quàm ut ejus in ſinum, & ampla Fortunæ dona congereret, & dotes inderet Magnæ Fortunæ pares.

Et primò ſanè, cùm Sanguinis claritas plurimùm valeat apud Mortales; & Ceræ, atque Imagines, plenique generoſis Nominibus Faſti, Atriaque avitis triumphis ſuffulta in pretio ſint; uſque adeò liberaliter, largiterque hoc in loco Regali MEDICEORUM Generi indultum eſt, ut ipſi Siderum Regi mihi quidem illud videatur poſſe conferri. Quemadmodum enim in Sole, tanquam vel fonte quodam, vel centro Lucis, quidquid uſquam eſt Radiorum, collectum reperitur; ita quidquid Nobilitatis, Claritatiſque in ſplendidiſſimis Domibus ſummorum Ducum, ampliſſimorum Regum, potentiſſimorumque Imperatorum in omni latè Europâ perfulget, Generoſiſſimam hanc Stirpem, ac Domum, Cognationum, & Propinquitatum neceſſitudine attingere (ritè conferenti) compertum erit. [a]

Satis profectò tantus hic Splendor Sanguinis ad cujuſcumque amplitudinem conflandam, augendamque videri poſſit; ad amplitudinem verò Majeſtatemque FRANCISCI MARIÆ certè non ſatis. Cernite quæſo,

[a] *Rem accuratiùs perquirenti Regalium totius Europæ Familiarum cum Medicea Regali Domo Affinitas invenietur.*

*Extat in Biblioth. Coſmi III. Stemmatum Series, id ipſum perſpicuè ſatis demonſtrans.*

ſo, quo impetu, ac pænè dixerim ambitu, non al Honores, ſed ab Honoribus Ipſe appetatur. Cernite, quàm confertos Fortuna ultrò in ejus gremium titulorum acervos ingerat; veriùs multò, quàm eadem ficta ſit, in Ducem illum Athenienſium Timotheum, inſcium tamen ac dormientem, plena Urbibus retia profudiſſe. Jam inde ab ineunte ætate puerilis ejus Prætexta clariſſimâ Rhodiorum Equitum Teſſerâ inſignitur: tum Magnus Prior Sancti Sepulchri Piſarum renuntiatus Dignitatem ipſam ſuo Nomine illuſtrat: Deinde Senarum Regimine auctus, ſic vicem Regii Fratris implet, ut præſtet Patrem: tum a Pontifice Max. Innocentio XI. Decus Purpuræ addituro in Apoſtolicum Senatum cooptatur; mox à Sacris Religioſorum Ordinum cætibus Vallis Umbroſæ, & B. Virginis Servorum, in Patronum, ac velut in Aram adſciſcitur: Quid præterea? A Regnis compluribus, & ab ipſo Gentium Capite, Rerumque Vertice Româ in Protectorem Ampliſſimum exoratur.

Ecquid aſpicitis, Auditores, Honores ipſos, tanquam e Septo aliquo, quà data porta, in Heroem exornandum contento curſu erumpentes? Nam quid cumulatius, amabo vos, tanto Principi circunquaque honeſtando præſtari potuit? Addite uberes cenſus, proventusque tum ex Amantricii Principatu, tum ex honeſtiſſimis Sacerdotiis perquàm lautos, & oppidò luculentos. Addite rerum vim, & gazam prorſus Attalicam: ut, ſi qua in unum aggeſta, coacervataque ſunt, plures in Principes, quaſi Ganges in alveos, &

Oſtia

diviſa forent, complures Craſos reddere potu- t.. Itaque ſi Samiorum Tyrannus Polycrates, ob rerum copiam, & felicitatem *Fortunæ Alumnus* meruit audire, Principem ab Etruriâ ejuſdem quaſi Partum appellare licuiſſet.

Jam verò quales ejus animo Dotes, tantis utique haud impares titulis, inditæ fuerint, intelligite: ſimul fiet (id quod pro primâ Orationis parte præſtituimus) ut Magnum in magnâ fortunâ Principem intelligatis. Enim verò Magnum haudquaquam illum nuncupaverim equidem, qui lautiore utatur fortunâ, ſed eum potiùs, qui Mentem gerat magnâ fortunâ majorem. Placeat ſibi ſanè Magni cognomine Macedo; interim ſuper ſtruem Sceptrorum ſedens adhuc ſerviat impotentiſſimæ Ambitioni. Major Magno Cynicus eſt, Doliaris ille Philoſophus, & Verſatilis Orbis lubricus Habitator; ſed idem Faſtum glorioſo faſtu contemnens. Videlicèt Fortunæ amplitudo Magnum non facit, ſed oſtendit.

Simile verò quiddam de FRANCISCO MARIA comminiſcor, Auditores, quod de fabuloſo Prometheo canora luſit Antiquitas; qui dum Hominem cretâ fingeret, nobilique rapinâ multum Ætheris limo admiſceret, ex Animantibus cunctis particulam vitæ detraxerit; fibriſque recentis Operis inſerens pro diverſis officiis, uſibuſque accommodaverit. Nimirum in FRANCISCUM MARIAM efformandum Sidera univerſa [quando iis Summus Naturæ Opifex dedit, ut in ſubdita Mortalium corpora vires ſuas diffunde-

rent]

rent ] amicâ conſpiratione proprias quæque Vir species contuliſſe viſa ſunt: proindè à Saturno nium, ab Jove Majeſtas, Animi robur à Marte, à Mercurio Eloquentia, à Sole Amplitudo Mentis in eundem perficiendum illapſa eſſe; ex omnibus denique quidquid ad Magnum Principem facit, in unum Pectus cumulatiſſimè confluxiſſe: planè ut Ipſe Siderum, immò Dei Munerum, Certamen appellari poſſit; dignuſque, ad quem conſtituendum *Virtus & Fortuna* [ ſaniùs accipite, quàm olim Romanum in Imperium jactatum fuerit ] *contendiſſe videantur*. [ * ]

Hinc autem perfacilis munitur via ad Magnitudinem Principis in Fortunæ amplitudine confirmandam. Etenim rem magnam præſtat, inceditque [ quod ajunt ] per extentum funem, ſi quis in rerum affluentiâ Modum ſervet, ſi quis ſibi conſtet, ſi quis mores non mutet: Splendida enim quædam Vertigo mentes in Sublimi poſitas conſuevit rapere, atque tranſverſas agere; neque pauci cenſentur Galbæ, qui digni fuerint Imperio, ſi non imperaſſent. Dignitas acquiſita haud infrequenter minùs dignos declarat, qui acquiſierint. Ita planè, Auditores, niſi de Mediceo Principe, niſi de FRANCISCO MARIA ſermo ſit; qui nunquam digniorem ſe ſe probavit Honoribus, quàm cùm tenuit. Quidquid enim Auguſtum eſt, tranſcripſit in Principem; quidquid item Principis eſt, tranſcripſit in Facta. Quod enim Virtutum Specimen ſuæ Magnitudini conſentaneum præ ſe non tulit?

Pru-

( * ) *L. Flor. in Prol.*

ɔdentiam quæritis? Quid illo conſiliis abundan-
tius? Tu, Roma, teſtis; ubi quanta tum in conſulendo judicii vi, tum in agendo dexteritate polleret, multiplici ipſe quidem in loco, ſed in tribus Pontificiis Comitiis vel maximè demonſtravit. Teſtis cunctus S. R. E. Senatus: Teſtes Reges, ac Principes univerſi; inter quos FRIDERICUS ille DANIÆ, ac NORVEGIÆ REX AUGUSTUS, qui nuperus Florentiæ Hoſpes Civitatem Regum amplitudini parem, Majeſtate ſuâ reddidit ampliorem; tametſi honeſta ſatis prçclaraque opinio de FRANCISCI MARIÆ Perſpicacitate Regalem ejus animum occupaſſet; Famam tamen haudquaquam, uti uſuvenit, ne tantillum quidem præſentiâ minutam, ſed auctiorem potiùs offendiſſe ſe, diſertè affirmavit.

Quæritis Magnificentiam? (quæ Virtus Principum, præſertim MEDICEORUM, germaniſſima eſt) Roma eadem memoret, cui tam privum eſt nihil ſuſpicere, quàm ei domi naſcitur, quarè ipſa ab omnibus ſuſpiciatur: Id ipſum tamen tam inſuetum, tam alienum eidem contigit, dum Noſtrum Principem cerneret, Admirari: Memoret, inquam, ſplendorem illum Aulicum, quo purpureâ inſignis in Trabeâ Sacer Senator, Oris ſui dignitate, & pompâ Comitatus oculos Urbis implevit. Memoret Roma, memoret Mutina, memoret Neapolis, memoret denique, ne per ſingula eamus, Etruria; enarretque luculentiſſima domi foriſque, tum urbanis in ædibus, tum ſuburbanis in villis monumenta Magnificentiæ: & his quidem [ex quibus

facilis & de alteris conjectura ] his, inquam, nc ruſticanæ cujuſdam, vel barbaræ guſtum voluptat ſed ad regulas artis ordinatiſſimis; juſſiſque eniteſcere inter iniqua collium, inter inculta Saltuum, inter aſpera Senticetorum, patiente ſubigi, ac prope geſtiente fingi in mores Principis ſolo. Qui verò ubique Delectus omnium elegantiarum! Quæ argenti pondera! Quæ Corinthia vaſa! Quæ ſtragulæ veſtes, flos Aſiaticæ pulchritudinis! Quæ ſigna! Quæ tabulæ! Quæ marmora! Quæ Deliaca Supellex! Qui nitor rerum! Quæ artium deliciæ, vel à fragilitate decus mutuatæ, & à tranſmarino ingenio Barbarieque ipsâ pretium ducentes! quibus tamen pretium longè majus, & elegantiam contemptor Animus adiiciebat: ut ex Magno Domicilio Magnum Habitatorem de facili æſtimares.

At fortè Magnificentiæ ſplendorem Cupiditate rerum, magnove illo in Familiis Vectigali, Parſimoniâ ſuſtentavit. Nihil minus, Auditores. Quis enim hoc Principe, ut Magnificentior, item & Munificentior obtigit? cum pulchrè iratus divitiis, ſuum in ſinum vix ingeſtas, velut mancipi acceptas, in alios refunderet; vel publicis datis nobiliſſimiſque Spectaculis, vel Miſsilibus in Cives Lautiis in hoſpites diſtributis, vel dotali ære jugandæ Virginitati confecto, vel frequenti ſtipe ad levandam inopiam, ac ſolitudinem erogatâ.

Quæ quidem, Auditores, ſingulariſſima ſunt, etiam ſi ſolitaria conſiderentur. Quid ſi accedat eodem, ut non Faſtus Splendorem regat, ſed Splendor ipſe ex nativo provenieñs Faſtum tanquam exoticum dedignetur?

Quid ſi tantæ Majeſtati Popularitas & Comitas ſtatur; eaque Vultus Liberalitas exporrecta ſemper, explicataque, nullâque nube tetricitatis offuſa; adiri facilis; Principē propè diſsimulans, apicemque fortunæ demittens, ut Socium jubeat in Privatos, in Calamitoſos Patrem, in omnes denique Amicum agere? adeout Par illud nobilium Hoſtium inſociabile, in uno FRANCISCO MARIA, tanquam vel in Arâ Fœderis, vel in Thalamo Connubii, tandem aliquando convenerit, MAJESTAS, ET AMOR. O Viri exemplar verè nitentis ad Grandia; neque falſæ cuiuſpiam Choragium Gloriæ ſectantis, ſed eam unam, quæ ex Virtute proficiſcitur, reſpicientis!

Jam ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, an non planè conficitur, Auditores, ut FRANCISCUS MARIA MEDICES ſe Principem exhibuerit inter opes, inter honores, inter faſces, inter ampla Fortunæ munera verè magnum? Ejuſmodi ſiquidem Laudum colligatio, utpotè neutiquam vulgaris, atque communis, Magnum Principem aut invenit, aut facit. Age porrò: Majorem nunc accipite in ſuæ ipſius tam excelſæ repudio Fortunæ.

Non me preterit ſanè, Auditores, in rerum geſtarum monumentis recenſeri bene multos, qui Magiſtratus, ac Faſces depoſuerint, atque Imperia ſibi abrogaverint: cujuſmodi Collatinus, Papirius, Meſſalla, aliique tum ex veteribus, tum etiam ex recentioribus: ſimul tamen mihi obſcurum non eſt, pleroſque omnes fulgidas habenas tum demum abieciſſe, vel cùm illæ

cæperint ingraveſcere (aurea ſunt enim onera... tates, gemmeæque compedes) vel ut iidem pri ocio indulgerent; uno verbo, ubi perſpicerent, Fortunæ repudium ſuæ è re ſuâ fore, recepto exindè haud ita iniquo, ſaltem Nominis, hoſtimento: At verò in FRANCISCO MARIA MEDICEO nihil ejuſmodi evicit,ut Dignitatibus nuncium remitteret: ſed ſingulari Pietatis exemplo id unicè ſpectavit, ut publico Bono ſerviret, magnæ Vitæ pretio Etruſcam paciſcens ſecuritatem; & quodammodo felix eſse dedidicit, ut Nos eſſe Miſeri neſciremus. Excuſſit è Vertice rubrum Galerum, è Pectore Baltheum Rhodium: cum his titulos, honores, comitatus, ſtrepitum omnem Fortunæ: nobile Principis tanti Cadaver, ante quàm mortuus, ſeu potiùs ſpecioſâ nece interemptus dum viveret,atq; in tacitâ Magni Nominis umbrâ contumulatus.

O inauditum (fas ſit exclamare) Charitatis Myſterium! ut publicæ Soſpitati litetur, novo quodam Sacrificii ritu, Eccleſiaſticam Perſonam exuere, Principem Sacrum diſſolvere! Cujus quidem facti luculentam Imaginem in Cælo, quàm in Terris pronius eſt reperire. Et ea ſanè, Auditores, ſuperioribus ſeculis ſe ſe obtulit toti Terrarum Orbi conſpicuam; Anno videlicet juxta ęram Chriſtianam milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo; tum cùm in Boreali Caſſiopeæ Sidere, quam Aſtronómi *Cathedram*, ſeu *Sedem Regiam* nominant, prope Stellam, quam Arabes vocitant *Schedir*, * Stella inſignis apparuit, quæ Jovem

* Hieron. Vital. Lex. Math.

ſum & Sirium radiorum pompâ antecelleret.
quidem poſt exactum fere biennium, ubi lumi-
noſam quaſi fabulam Cœleſti in Scenâ peregit, ſe re-
pentè ſubduxit, ſuamque lucem reſorbuit. Ambigas,
an ut Spectaculum ipſa prodierit (ſcilicet Cælum
quoque ex intervallo fert aliquid novi) an ut Specta-
trix [ſcilicet Tellus quoque fert aliquid, quod Cælum
promereat Spectatorem.]

Jam vos, Auditores, temporario in hoc Aſtro, pla-
nèque evanido, FRANCISCUM MARIAM MEDI-
CEM fulgidum primò, tum exutum Purpurâ, omnique
ferè Fortunæ præmio, atque honeſtamento expoliatum
agnóſcite: neu tenui vertite gloriæ Mediceo San-
guini, qui ſplendida Cæli exempla poſſit in Terras imi-
tando traducere. Stella erat FRANCISCUS MARIA,
& ea quidem certè primæ Magnitudinis in Regiâ Ec-
cleſiæ Cathedrâ mirâ luce perfulgens, Jovique ipſi Me-
diceo Splendore Dignitatis anteiens. * Quàm multi
illum Tituli, quaſi radii, coronabant! Soluti penitùs:
*Quodque in tot lumina lumen habebat* Argus Mediceus,
*Extinctum eſt*. Extinctum, inquam, dum adhuc vivit,
& ſuperat Princeps, ſibi poſthumus, ac ſuperſtes. Vi-
vit Princeps; extinctus eſt Romanæ Splendor, ac De-
cus Purpuræ: Vivit Princeps; extinctus eſt Magnus
Hieroſolymitani Ordinis Prior: Vivit Princeps; ex-
tinctus eſt Religioſorum Ordinum Protector & Pater:

 Vi-

* *Mos in Medicea Domo religiosè, ſanctèque ſervatus, ut Purpuratis Eccle-ſiæ Principibus Primas concedat.*

Vivit Princeps; extinctus eſt Maximus Regnoi tronus & Columen: Vivit Princeps; & vivit, u vitam, ſed mortem quandam, glorioſam eam tamen, vivere videatur..

Quæ Virtus igitur Hominem ſubigat pro publicâ Incolumitate Vitam non Corporis (quemadmodum Curtius Romæ, Codrus Athenis, Anchurus in Phrygiâ feciſse traditur) non Corporis, inquam, vitam devovere, ſed Animi, nempe Gloriam; ea, inquam, Virtus an non perquàm glorioſiſſima prædicanda? Impendiò ſanè glorioſior Medicei Virtus prædicetur Herois ab excuſſis Dignitatum phaleris,& everſâ Quadrigâ Gloriæ, quàm modò floruerit in faſtigio Fortunæ?

Miretur alius actuoſam FRANCISCI Potentiam; Ego verò demiror Principis Otium: Miretur alius Magnifica gerentem; Ego Principem miror ceſſantem, illuſtrique faſtidio collata dolentis Fortunæ munera deſpicientem. Tunc Ipſe enim verò admirationem omnium provocavit. Quis enim Solem ſuſpexit dum lucet? Suſpiciunt omnes dum deficit: *Niſi cum defecerit*, ait Seneca, *Spectatorem non habet*. Lucidam ſanè Medicei Principis Eclypſin Orbis miratus eſt univerſus; officioſoque ſtupore tanquam viventi Mortuo parentavit. Quid eſset autem cur alterum ille Obitum pertimeſceret, commune videlicèt Vectigal humanæ Naturæ omnibus perſolvendum, qui nempe ſingulis ſemetipſum efferens diebus diu condidicit mori?

* Ubi

Ubi verò Princeps Magnanimus per tot Funerum
nenta Diei ultimo initiatus inſtantem præſenſit
ortem, erecto illam animo ſecuroque; nihil cunctatus, nihil detrectans opperiebatur; ut qui ipſam pridem antecapere viſus ſit, pluraque prærripuerit Ipſe ſibi, quàm Ipſi ab eâdem deripi potuiſsent. Quæ quidem ubi [proh dolor!] ingruit, irruitque; & ferale Juſtitium per Civitatem edictum eſt, qui ſenſus omnium fuit! Vidimus diem illam emortualem, ſqualentem, horridam; Vidimus elati Principis Funus luctuoſiſſimum; Vidimus duplices illas tenebras, mœroris, noctiſque:ad hæc nubilo,hoc eſt atrato; pluvioque,hoc eſt lacrymâte Cælo. (2)ne quid foret in rerum naturâ, quod triſtiſſimum deſiderium non ſentiret. Quid enim nimbus ille nocturnus, niſi (permittite, quæſo, dolori interpretandi licentiam) niſi, inquam, Naturæ fletus gementis erat? Ibat in lacrymas Cælum; lugebatque quodammodo Compendium ſuum. Efferebatur Loculo Princeps, qui modò tam auguſtè fulgebat in Throno, rurſus in quo, velut in Throno, Majeſtas ipſa fulgebat. Præibat longus ordo Supplicationum; & Funalia, quæ tenebras vincerent, dum oſtendunt Principem,noctem ingeminabant. Comitabantur pullati Viri,à luctuque,& Næniâ nuncupati,[3] non ad pompam, ſed ad neceſſitatem Triſtitiæ. Sequebantur cataphracti Equites, tinniente ferro, & clan-

 gen-

1 *Principis obitus, & funus.*
2 *Per pluviam noctem effertur Princeps.*
3 Vulgò *I Piagnoni.*

gente Orichalco, ſtrepentibuſque ſubſurdâ voce cinis; ut Metalla ipſa dolore, gemituque, non al adſcito, ſed â naturâ indito, diſrumpi viderent Omnia denique ad luctum compoſita ſpem præcludebant ulteriori ſolatio.

At quò me immemorem furtivus ab inſtituto avocat dolor? qui Mortem Principis ab Etruriâ non incuſandam, ſed defendendam, leniendumque non laceſsendum dolorem, vel à primâ orationis hujus lineâ conſtituerim: plus verò ſatis idipſum ratus confirmatum fore, ubi, quod pro virili conatus ſum, oſtendiſſem, *FRANCISCUM MARIAM ab Etruriâ datum Terris in exemplum Principis, qui ſciret in Fortunæ amplitudine eſſe Magnus, Major verò in abdicatione Fortunæ.*

Id quod ſi modò per mei tenuitatem ingenii ſum aſſecutus, jam nullas exiſtimo reſidere in animis de immaturo Principis obitu querelarum fibras: nihil enim æquè Mortis acerbæ [ ſic enim loquar ] Innocentiam teſtatur, atque honeſtè acta, & omni officio conjuncta, omnique cumulata laude vita; ideò Cælum, quàm Terras, Superos, quàm Mortales propiùs attingens.

Et eam quidem Innocentiam FRANCISCUS MARIA teſtatus, ut audiſtis, abundè eſt; qui, quam Generis hauſit Claritatem, luce auxit Virtutis: Specioſa factus Naturæ, Fortunæque Rixa, dum utranque Magnitudine Animi vincit, dignum ſemet oſtendit, qui non ad Victoriam modò, ſed etiam ex VICTORIA * ſit

* *Sereniſſimæ Victoriæ Roboreæ Filius.*

us, MEDICEI, ROBOREIQUE Sanguinis e Germen: Apoſtolici idem Senatus Gemma nobilis, Hieroſolymitani Ordinis Jubar clariſſimum, Sacrarum Clypeus Familiarum, Regiorum Fulcimen Sceptrorum; Romæ Votum, Etruriæ Delicium, Italię Columen, Europæ Præſidium; unicè expetitus, veluti Ara Conſiliorum, veluti Anchora Sacra omnibus exoptatus: Vir ad grandia moliminum accommodatus, Magnæ pleniſſimus Animæ, rerum omnium, præterquam fuci, dolique, capax: Vir Conſtantiâ munitus, Auctoritate gravis, Majeſtate Auguſtus; in quo Magnificentia, tanquam in Solio, refulſit, Munificentia verò, tanquam in Capitolio, triumphavit: Fortunâ dignus ſuâ antequam caperet, dignior dum tenuit, digniſſimus cùm repudiavit. Exutæ tamen Majeſtatis adhuc veſtigia retinens; Platani ad inſtar, cujus, licet frondibus viduatę, adhuc Comarum honorem intelligis: dumque Mortem novâ quadam ratione præoccupat, animatum ſuæ Gloriæ Feretrum factus, Obſidem Immortalitatis in omnium pectoribus reliquit Deſiderium Sui: is denique Vir, quem cùm nequeas laudare ſatis dicendo, admirando pleniùs laudaſti; cùmque omne perſtringas Encomium ſi nomines, uberrimè amplificas, ſi conticeſcas. Dixi.

Digitized by Google

# *DE FRANCISCO MARIA AB ETRURIA*
## STELLIS MEDICEIS ADNUMERANDO
# CÆLESTE CONCILIUM.

## Carmen.

POne modum lacrymis, nimioque reſolve gravatum,
FLORA, ſupercilium nimbo; intermiſſaque triſti
Gaudia Juſtitio, deſuetaque plectra retenta.
MEDICEI HEROES, quanvis adamantina jura
Parcarum ſubeant, & ineluctabile Fatum,
Non toti deplent, nec toto funere Penſum.
Vidimus, & vulgare juvat, ſuper Aſtra relatum
Medicea Etruſcum Lumen, prænobile Lumen,
FRANCISCUM, Auſonii Jubar ingens, & Decus Oſtri,
Mox etiam exuto vel par, vel majus ab Oſtro.
Vidimus: at quo Concilio, quove ordine, jam nunc
Mens congeſta calet ſacras memorare per Artes,
Et non vulgatis Cælum referare Camænis.
Najades Arnigenæ (nam vos ſpectaſtis & illum)
Voſque, o Stellifero rutilantia Lumina Mundo,
Ferte pedem Vati, quem celſo Nomine nuper
Donaſtis (neque enim titulos jactamus inanes
SIDEREI: quanquam Terris hæc hæret in imis

Vita

Vita reſes, claro ſpatiatur Spiritus Axe.)
Ferte pedem, ſi veſtra cano, ſi vera renarro.
Tuque adeò, illuſtri qui Pectore conſcius Aſtra
Magne geris Præſul [ ſic Te ſic Stemma per Arcus
Gentiles ad rerum Apices per ducat Avitum;
ARCHINTE, ARENTI ſic quæ Tibi floruit Horto *
Inſignis ROSA, Laurigeros auctura Triumphos,
Purpureasque TOGAS, Tyriæ non indiga Conchæ,
Perfuſura; Sacros nunquam deperdat Apriles,
Sed vernans, & fida æternum ſervet honorem ]
Tu mihi non humiles meditanti promere laudes,
Ingentes inſpira animos, & ſuffice dignum
Principe quem canimus, dignum Te Principe carmen.
MEDICEI poſtquam Herois ſeſe inclyta Cælo
Explicuit Virtus, Animumque probavit, in Aſtrum
Conflari facilem, quod multa retunderet Aſtra;
Jupiter, Etruſco latè qui præſidet Orbi,
Mediceaſque regit Stellas Dominator, Olympo
Jandudum optarat tranſcribere. Moverat illum
Principis egregii cumulatum Pectus Honeſto,
Inſita Majeſtas, & Nobilitatis avitæ
Hæres vis Animi, celſæ non indiga laudis.
Grandibus at votis, deſiderioque Tonantis
Cura refragatur MUNDI, lapſuraque rerum,
PRINCIPE ſublato, certa in diſpendia moles.
Nam quem adeant tot Regna? petant quos anxia Delphos?
Quem ſubdant rebus tam præſens Numen egenis?
Quis tam conſilio pollens, & munere linguæ,
Qui Sortes, Tripodaſque Sacros in Pectore geſtet?
Tales dum Curas ſuſpensâ mente volutat
Rex ſuperum, atque animum ſtudia in contraria flectit,
Coge-

* Sub Stemma Gentilitium Archintorum ſubſtat Phrenoſchema Roſæ cum lemmate *Floruit in arido*.

ɾe Concilium ſtatuit; rutilumque Senatum,
ıereoſque vocare Deos, quibus Aſtrifer Orbis
Nititur, & certo regitur moderamine Mundus.
Nec non accerſire juvat, queis Summa recumbit
Hæc minor; Italiæ cum primis Numina, fidos
Regnorum Genios: quorum juſtitiſſima Cura
Princeps, & Vitæ eſt diuturnus Principis uſus.
Scilicet hos, rerum ſi quando popoſcerit ordo,
Conſiliis adhibet Socios; his fata recludit
Rector, compellans Mundi melioris Atlantes.
Ergo accerſiti è Superis formoſus Apollo,
Mercuriuſque, vago Deus & qui præſidet Hebro
Bellipotens, & Saxa metu Pangæa fatigat;
Saturnuſque Pater; qui, cùm Stellante Supremas
Occupet Arce plagas; extorris ab æthere viſus.
Quattuor his ſummus ſtat Conſiliantibus Orbis.
Scilicet ingenii vigor his, & vivida fervent
Judicia, & plenâ fecundant Pallade pectus.
Ex Geniis porrò, quorum ſub numine florent
Imperia OEnotriæ, atque Arces, Urbeſque potentes,
Accivit totidem Saturnius Æthere ab alto;
Perſpicuis poſcens monitis, & luce disertâ.
Poſcitur ante alios celsâ Dominator in Urbe
Regius Etruſcâ Genius: ponè additur olli
Urbis Præſidium Senarum grande Vetuſtæ:
Queis Vaſtallenſis Tutela potiſſima Cæli
Jungitur, & Cuſtos Romanæ ſplendidus Arcis.
Nam quanvis Heros Sacri modò Principis Umbra
Nobilis incedat, Tyrio viduatus amictu,
Attamen exemplo Romanam conſtabilit Rem.
Mos viget in ſuperis primo deductus ab ævo,
Terrarum ut Genii, cùm fortè ad ſumma vocantur
Atria, & æternis ſtructas fulgoribus Ædes,
Haud illis Atlantiades mittatur ab Axe,

Ut

Utcunque Interpres Divûm Caducifer Ales
Audiat, & gemini jactet commercia Mundi;
Sed Jovis imperiis, certo ſub ſidere, clarum
Illius apparet, Genius cui præſidet, Urbis
Stemma ingens; plenoque die ſaturatur in umbrâ:
Dædaleum, & multo ſudatum Mulcibre miræ
Artis opus. Quales [ Imis componere Summa
Si liceat ] MAGNI cùm ſe Lux annua COSMI
Natalis revehit, Thyrrenis candida Faſtis,
Aeriis vigilant nocturni Turribus ignes;
Arſque vel ingeminat mentito ſidere Cælum,
Vel Cælo potiùs blandum jaculatur Avernum.
Tunc etenim pyriis alati crinibus angues
Sulphurei volitant per noctem; animamque flagrantem
Cum ſonitu tollunt: tum ſe ramoſa ſub auras
Stella ſecat, rutiloque cadens ſe prodigit imbre.
At poſtquam evomuit moles compactilis hydros
Arte laboratos, ſcintillanteſque chimęras,
MEDICEI reſidet pacato in lumine Stemma
PRINCIPIS, Argumentum ingens; & nobile Mundi
Stelligeri, senis colludens Orbibus, Inſtar:
Et quanvis umbræ circunfundantur opacæ,
Vincit luce ſuâ Majeſtas alta Globorum;
Thyrrenumque notat Regalis Teſſera MAGNUM.
Talia per noctem lucent in vertice Olympi
Clara, jubente Deo, Terrarum Emblemata, quando
Terreſtres cieat ſupera ad Conclavia Divos.
Quattuor ergo Tonans Genios ut cogat in Axem,
FLORÆ, SENARUM, VVASTALLÆ, Arciſq; Latinæ,
Quattuor in Stellis, Lateri quas ipſe ſuperbo
Adlegit comites (nunc illas nomine dicunt
MEDICEAS) totidem Regnorum Inſignia ponit,
Ebria luminibus, vivoque adamante coruſca.
Illa [vides?] Florum Regem, Regumque vìciſſim
Prę-

puniceo ſaturatum lumine Florem.
Florentinam ſignare quis abnuat Urbem?
Cerne aliam, quâ ſurva nitet Lupa; ad ubera binos
Reſpectans Fœtus, quos non ſua protulit Alvus:
Addubitem, num Tarpejas hæc indicet Arces;
An Te, SENA VETUS, Romanæ Filia Gentis: *
Ni dubium ſolvat geminatum Inſigne; ſed illud
Diſpar mole: notat majus nam Stemma Parentem;
Stemmate Progenies ſignatur SENA minori,
ROMA MINOR. Sed quarta Aquilas fert Stella:ſuperbit
Plumea Lux;dupliciq; hinc,atq;hinc Vertice ſurgens
Auſtriacos clamat Regina alata Triumphos:
GONZAGÆ ſpectas operoſa Emblemata Stirpis.
Protinus ut Genii ſuper Æthere Stemmata nota
Suſpexere, animis Monitum Cæleſte ſecuti,
Haud mora, conveniunt; celeremque ſub aſtra volatum
Corripuere. Umbras radiorum Syrmate eundo
Signant, & multâ ſparſere Silentia luce.
Quale per æſtatem Stellæ ſub nocte ſerenâ
Tranſcurrunt, ducuntque micanti limite ſulcum.
Jam ventum ad ſuperos: fervet jam Curia cætu
Sublimis gemino, Cæli, Mundique jacentis:
Jamque Dei juſſu gemmata Sedilia complent.
Ipſe Pater Solio medius Stellante refulget
Qui poſtquam fremitus linguâque manuque repreſſit,
Conſilii referat Cauſas; & farier infit.
At quibus hæc ſtudiis ſint alternata viciſſim,
Tum quæ libratis ſteterit ſententia cauſis,
Pandite vos, ſuperi. Non omnia poſſumus omnes.

---

* *Sena Romanorum Colonia.*

## *ACTA IN COMITIIS CÆLESTIBUS.*

# JUPITER REX.

## *CONSULTORES REGNI.*

QUATUOR DII, ET IIDEM PLANETÆ,

*SOL. MERCURIUS. MARS. SATURNUS.*

QUATUOR ITEM GENII,

*GENIUS FLORENTINUS, GENIUS SENENSIS, GENIUS VASTALLENSIS, GENIUS ROMANUS.*

*Jup.* QUantus MEDICEI laudum inſit Pectore cenſus *
FRANCISCI, Auguſtæ ſit quanta opulentia Mentis,
Et quæ, par Menti, Majeſtas fulguret Ore,
Quantaque Canities Animi florentibus annis,
Quanta Fides dictis, quanta & Conſtantia factis,
Qui Pietatis Honos, & quę Reverentia Recti,
Quæ Vultus Iris nullâ ferrugine tincta,
Sed facilis, miſtâque nitens Gravitate, Decori
Temperies, ignota minis, & inhoſpita nimbis,



* *Elogium Principis.*

Ni quos largus opum profu.. .er Amori
Quæ tandem Merita, abſciſſis 'liſque Opib
In Patriam, Magnoſq; Lares, Etruſcaque Reg
Nota ſatis, Proceres. Nunc res, nunc admonet
Virtutem celſis tantam retuliſſe Suorum
Ordinibus:nam MEDICEUS prope factus Olympus.
Cernite FERNANDOS, LEOPOLDOS, atque LEONES,
CLEMENTESQUE, PIOSQUE &, Grandia Nomina, COSMOS;
Quoſque, velut Stellas, fiat mora longa referre.
Maturus Cælo eſt [ trahitur cur Vita? ] futurus
Idem ſe ſolo Magnum Ætheris Incrementum.
Sed tamen ex illo manant quæ commoda Terris,
Fatum eadem removent. Ratio Telluris habenda eſt,
Regnorumque, Patrociniis quæ grandibus Heros
Fulſit, & ingenti protexit Nominis umbrâ;
Nec prece mercatus Titulos: Tulit obvia ſeſe
Gloria cunctanti; meruitque nitere rogatus.
Non ambit Virtus ingens, ambitur Honori.
Ergo agite, o Divi, certis quos poſcimus ultrò
Conſiliis, jam nunc Animi depromite ſenſus.
Sic fas. Nil equidem veſtrâ ſine mente movebo.
Tuque prior, Tu, Phœbe, ſinus, animoſqne reclude:
Exere Cortinas, & totos concute Delphos.
*Sol.* Nemo eſt, o Genitor, ſaliant cui pectore fibræ,
Quin Cælo dignum Heroëm, quin cenſeat Aſtris.
Si Pietas, ſi Fas, ſi laus ſpectetur Honeſti,
Sol alter Princeps, me Judice, poſſet haberi,
Si Soles Natura duos pateretur habere.
Nec Me Sepoſito Natura fatiſcet, habenas
Flexerit illius ſi Dextra vicaria noſtras.
Perget inire Dies: Mutatum haud ſentiet Orbis
Aurigam, aut Axem excutient Eoüs, & Æthon.
Ve-

*V*erùm præſtit .m dignæ ſtamina Vitæ
Protendi , atque alio reparari vellere luſtra
Principis emeriti : Tellus quo poſſit & ipſa
Sole nitere ſuo . Sic lucida rite meabunt
Imperia ex æquo partita ; Tenorque perennis ,
Auſpice MEDICEO , gemini ſervabitur Orbis .
Hæc potior noſtræ ſedit ſententia menti .

*Jup.* O prudens dare , Phœbe, Polos , idemque negare !
Dignum teſtaris Cælo , Cæloque repellis .
Hæc tua neſcio quid ſubolent mihi verba:nec unquam
Tam ancipiti Delos fortaſſe ambage locuta eſt .
Num Maculæ in causâ ? Galilæi at munere ab ipſis
Cæptæ jam Terris mortali luce videri .
Quidquid id ėſt: Majæ proles , Proleſque Tonantis ,
Nectare concretas Suadæ jam Tu exere fibras.

*Merc.* Autor ego , Cælo Heroëm , mora nulla , Ataviſque
MEDICEIS adſcribendum . Telluris habenda
Sit ratio ; at Cæli potior ; fluit unde ſub imas
Felix illapſus Sedes , & fuſile lumen
Inſinuat tacitas in ſubdita corpora vires .
Adde etiam juſtas neglectæ fortè querelas
Virtutis : Merces ſiquidem dilata merenti
Pœnæ pondus habet. Fac Numina lęſerit Heros:
Quid Pęnę , Vindex , repetes ? En ! protinus Axe
Proſcribes . Ergo Meritis ſtatuetur , & ipſi
Par Pretium Culpę ? Nullo diſcrimine, Virtus ,
Pęna , Scelus , Merces , titulo miſcentur in uno .
En ! hęc pacta Fides ? Promiſſum confer Olympum ,
Et partos Virtute Polos . Ego Nuntius ibo
Numinis aſtrigero gaudens ſuper Axe recentis .
Convenit inter nos . Cordi mihi Literę , & Artes :
Palladias Artes Princeps promovit . Olympe ,
Mercurios geminos tanto cum Principe habeto .

*Jup.* Arbiter Eloquii , vėl in hoc te rite probâſti ,

Mercuri , & ingenii pondu [illegible] ıtus abunde es .
Nunc , Mars , quę ſurgat Tibi jam ſententia , pa
*Mars*. Quid mihi cum lentę conſultis ſegnibus Aulę ?
Heus ubi Tela , Tubę, Galeęque, Equiteſque, Rotęq,
Fulguraque Umbonum , & lampas thoracis ahena ,
Et circumtexti Formido plectilis Auri ?
I , Bellona ; fer arma mihi . Bella , horrida bella
Rauca tonent tormenta ; catenataſque ruinas ,
Alataſque vomant furias , glomerataque fata .
Exundet ſulci tabo ; cumulentur aceruis
Cervices , miſtę parmis , gladiiſque : decòret
Se Feritas : ſiccos enſes vagina recuſet :
Sobria ne redeant Geſa , abſtemięque ſariſſę :
Rurſum confuſos clypeos , & corpora voluat
Mincius , Eridanuſque , novis Phaëtontibus auctus ;
Totęque in ſegetes eructent Pręlia Ripę :
Luxuriet Furor , & buſtis epuletur Enyo .
Ite ... Sed heu! fruſtra, FRANCISCO ſoſpite, fruſtra
OEnotriâ in Magnâ increpuit Mars. Finibus (eheu !)
Trudimur Italicis . Nimium illi Fędera curæ ;
Et dulce arridet pacalis Germen Olivæ .
Linguâ , Conſilioque potens , componere mores,
Flectereque auſpiciis tendit melioribus Orbem .
Æterno Janum nunc Pax adamante ligabit ;
Ferreus unde Furor trepidas luctatus in urbes
Europę inſanit ; ſtragemque , & crimina belli
Digerit , ac toti metitur Funera Mundo .
Claudetur Janus centeno vecte ; nec ultra ,
Vindice FRANCISCO Thyrrena in fata patebit .
Da Cęlum , Genitor , placidas ubi numina Sedes ,
Lętaque olivigeræ ſanxerunt otia Fronti :
Sic ſtabunt Cauſę Irarum , lacrymoſaque Bella
*Sat*. O vox , o ipſum ſpirans Sententia Martem ,
Cum vult eſſe Pius ! Meritę ſic adijcis Axem

Vir-

*r*irtuti, ne b*c*     et, ne ſegreget Iras?
Non his, Cęlipotens, non his, precor, affere cauſis.
Quin immò quòd bella vetat, quòd ſegregat iras,
Seculaque in priſcum properat revocare Metallum
Conſilio, Calamo, linguâ; da, Jupiter, ęvum;
Adde novos annis curſus, & curſibus annos;
Inſtaura feſſum ſtamen: da voluere Clotho
Ceſſanti totum Phryxi Pecus; aurea donec
Firmet ſecla, Deique obdantur Sacra bifrontis.
Tunc Heros Etruſcus, ubi fera detonet armis
Tempeſtas, Sidus cupido ſeſe addat Olympo.
*Mars.* Te, Saturne, decet luxum tondere comantis
Pampineum Vitis lunati vulnere ferri;
Et de Chaoniâ convivia ducere Silvâ.
*Sat.* Paſcimur hoc equidem, ſed Pax viget aurea, victu.
*Mars.* Glandiferam ſolers ubi ramo excuſſeris umbram,
Tunc puto proviſum Paci: tunc Fœdera firmas.
*Sat.* Tunc puto, cum clades meditor, Mundique ruinas.
*Mars.* Quiſquis in arma ruit Pacem molitur in armis.
*Sat.* Quisquis in arma ruit, cæcos alit ille furores.
*Mars.* Quisquis in arma ruit, Speciem gerit ille Tonantis.
*Jup.* Deſinite Irarum; & calidas compeſcite rixas;
Sideream Sedem neu Belli vertite in uſum.
Jam veſtra, o Superûm Proceres, mihi nota voluntas,
Et percepta ſatis. Nunc vos jam conſulo, Magni
Terrarum Genii: quanvis perquirere Senſus
Diſtulerim veſtros, tacito quos pectore cerno.
MEDICEUM Heroem Thyrreno ſcilicet Orbi
Eſſe diu proprium petitis. Sed nunc, age, cauſas
Promite, quæ ſubigant tantum hoc depoſcere Munus.
*Florent. Genius.* Quandoquidem, Pater Alme, jubes efferre
ſub auras
Condita ſenſa animis, breviter mea dicta recludo.
Nonne vides, Tuſco Generi, Florçque labanti

Quanta mali moles impen(       Aſſere Floran..
Principis à Spatiis Res Florentina reſurget.
Da ſeros agitare dies, da ſtamine longo
Poſſe frui, Genitor: Vitâ vivemus ab illâ.
Si Patrem dici dederis, ſi ludere parvos
Cernate MEDICEOS, felix Etruria! felix
Itala Res! Hoc Spes Munimine fulta recumbit.

*Jup.* Attica nunc Pallas, Sapientiaque ipſa locuta eſt:
Tu Divos inter momenta potiſſima ſolus
Summâ tangis acu: hic Cardo eſt, hęc Culmina rerum.
Jam Tu, SENENSIS, cui ſunt Genialia curæ,
Sed quibus, & Virtus, & Amor comitetur Honeſti,
Alme Geni, Tibi quæ ſteterit Mens, voce revela.

*Gen. Senen.* Quales, multicavo refovet quos pumice, Nidos
Turtur amans, niveo vel perlita lacte Columba,
Feſtivos, hilareſque vides plaudentibus alis.
Si fortè Agricola obſervans, aut ferreus Auceps
Heu! Matrem, pullis dum fert implumibus eſcam,
Transfigit telo; cadit illa; relictaque turba,
Non auditura ingeminans lamenta volucri,
Dulcem animam primo vitæ ſub limine fundit.
Ille redit prædâ gaudens; & prolis hiantis
Deſpicit aſſiduos ſecuro viſcere queſtus.
Talis SENA. Patris Thyrrenus Munere Princeps
Fungitur. Heu! Patrem Fati inclementia, Patrem
Auferat? Et luctu Cives demergat acerbo?

*Jup.* Si lacrymis poſſent Cœleſtia lumina tingi,
Funderet inſuetos oculis Tibi Jupiter imbres.
Jam Vaſtallenſis Genius nunc labra reſolvat.

*Gen. Vaſt.* Sit, cui Riphæo rigeant de Marmore venæ,
Sit, quem lactarit Libycis Lea ſæva ſub antris,
Nigras præbuerit mammas truculentà Megæra,
Squalida Tiſiphone toto potarit Averno:
Attamen, excelſum ſi Vaſtallenſis Honorem

San-

Sanguinis a[illegible]ſponſam, quam fulgida Virtus
Aureis afflavit donis, & Numinis hauſtu ;
Si Mentis videat celſæ decus, & Jubar ingens
Indolis Auguſtæ, Chariteſque ex Axe refuſas
Plenum Animę magnę in gremium; tangatur oportet,
Ignotoſque bibat Pietatis pectore ſenſus .
Ergo Heroinam viduatam Principe tanto,
Principe, qui dignus tantâ idem Principe, ſiccis
Cernere luminibus poſſint Homineſque, Deique ?
Anne ideo celebratus Hymen, Tædæque jugales,
Ut celeri Lacheſis Thalamos in Funere mergat?
Te, precor, heu ! duræ miſeret, Rex Maxime, Sortis.
*Jup.* Chare Geni, Magnum Nomen ſonat ELEONORÆ;
Nomen Avis, Ataviſque potens. Si Fata liceret
Inverti ; ſi fas Superûm Decreta ; vèl uni
Diffingi paterer ; Terraſque Polumque moverem .
Non licet. At dabitur quemcunque levare laborem.
Par eſt nunc, aures Genio præbere Latino .
*Gen.Rom.* Haud equidem inficior, Divûm Pater Optime,
Summum
Etruſci Herois meritorum pondus, & actam
Uſque per egregias laudes, tituloſque Juventam
Ingentes. At nunc exautoratus ab omni
Munere, & illuſtri rerum ſpoljatus honore, (ceps,
Magnus adhuc, tanto & major modò Principe Prin-
Aſtris debetur: Meruit: Da, Jupiter, Aſtra:
Verùm ubi jam curſum volventes Solis habenæ
Multas rettulerint Meſſes, multaſque pruinas.
Nimirum hoc etiam Terrarum proderit Orbi,
Quòd Princeps & Honore carens, & dignus Honore,
Sit quoque Sideribus, ſed adhuc ſine Sidere, dignus.
Defunctus Titulis, veluti poſt fata ſuperſtes,
Nobilis Umbra Sui, & pulchrum ſine morte Cadaver.
(Tantus Amor Patriæ, & ſervandæ Gloria Gentis!)

Exemplum ſpectet Tellus, mı.      Jlympus.

*Jup.* Jam ſatis auditi Geniique, Deique. Tonantem
Vos modò condentem non refragabile Fatum,
Accipite. Etruſcus meruit; donetur Olympo
Princeps, atque unà ditetur Principe Olympus:
MEDICEOS inter radiet nova Stella Nitores,
Jam nunc, cognatumque intermicet æthere Sidus.
Hanc, Orbis, cladem patere. At ſarcire ruinam
Mens agitat dudum, Fatiſque rependere Fata.
Quod Magnis Princeps Laribus, Patriæque daturus,
Ille dabit (ſic Fata trahunt) qui ſcribitur Hæres.
I, præcelſe Nepos, Animi Menſura Paterni,
Et dignum Patrui Specimen. Tu vince ſequendo,
Sed fato meliore, Duces: Tu pectore FLORAM
Magnanimo feſſam refove: Tu grandia Vota
Imple Hominum, Superũq;. Diu Te Te AuſpiceThuſca
Munitur Tellns, & Te reſpirat in uno.
Quę verò eximius titulis illuſtribus Heros
Exhibiturus erat roſeo ſub Murice Facta,
Perficiet, ſimili [parva eſt mora] Tegmine fulgens
ARCHINTUS, Magnę ARCHINTUS Fama inclyta Gentis
Inſubrum. Quid non Celſumque, Piumque minetur
Stirps Atavis, Stirps clara Armis, Belliq; Trophæis,
Clara Togis? Ades o ingens Decus Urbis Etruſcę,
Quam mox ornabis Præſul Sacer: O ades ingens
Et Decus & Columen Latiique, Orbiſque futurum.
At vos interea dum debita Sidera ſcandit
FRANCISCUS, merito venientem attollite plauſu;
Atque Triumphali laudum comitate coronâ.

FRAN-

# FRANCISCO MARIÆ
## AB ETRURIA
## *SIDERUM PLAUSUS.*

## Epigrammatum Corona.

## SOL.

SIDERA ( ſi quis honor ) Stellæ laxate recenti
Officioſa ſinum ; ſi tamen ille capax.
MEDICEUS ſurgit Princeps. Ad Numen, ad Aſtrum
Non ea ſat Virtus, quæ facit una Polum?
FRANCISCI Virtus totam ſibi vendicat Æthram :
In Titulum, & Morem Sideris Omnis abit.
Surge Heros. Ubi Sol dubio titubaverit *Axe*,
Supplebis : Diſcet certior ite Dies.

MER-

# MERCURIUS.

SUrge Heros. Ubi Sol dubio titubaverit Axe,
Supplebis: diſcet certior ire Dies.
Verum ubi Phœbos Princeps ſuppleverit Ignes,
Mercurius toto decidet ipſe Polo.
Haud poterit tantos Victus perferre Nitores,
Nec tam lucenti proximus ire Deo.
Felix exul eat Cælo Cyllenius ardor;
Pronius Eloquio Sidus &, Orbis, habe.

# MARS.

FElix exul eat Cælo Cyllenius Ardor;
Pronius Eloquio Sidus &, Orbis, habe.
Nam ſi Bellatrix decedat Stella, Gradivus
Si tanto Currum detuleritque Viro;
Areſcet deinceps Armorum Gloria; nullus
Pectora Terrigenûm Martius uret amor.
Hinc Pax; hinc poſitis miteſcent Secula bellis:
Non pote ſub tanta Luce tonare Furor.

# SATURNUS.

HInc Pax; hinc poſitis miteſcent Secula bellis;
Non pote ſub tanta Luce tonare Furor.
Jam potero Saturnus adhuc trans Æthera ferri,
Rurſus & Auſoniis me retuliſſe plagis.
Cauſabor reditum. Mortales vivite: dicam:
Pro Me candidius fulget in Axe Jubar.
Grande Jubar, cujus radios Pax aurea conflat,
Et non ancipiti Regia Corde Fides.

# GENIL LORENTINUS.

GRande Jubar, cujus radios Pax aurea conflat,
Et non ancipiti Regia Corde Fides.
Proinde Ego Regali FRANCISCUM in Sede locabo;
Cui tradet famulas Caſſiopea faces.
Hîc omnis proprios fingat PRUDENTIA mores;
Et, ſi quid peccet, terſerit inde nefas.
Ab recto quiſquis Virtutum tramite aberras,
Hanc unam Lucem conſule: tutus eris.

# GENIUS SENENSIS.

AB recto quiſquis Virtutum tramite aberras,
Hanc unam Lucem conſule: tutus eris.
Hæc immota mihi ſidat ſuper Axe: ſuaſque
Hanc circum alternent Noxque, Diesque vices.
Reſpiret Polus expunto tandem Arcade Monſtro:
Hac Duce Myrtoum Navita ſulcet iter.
En! Polus: hunc, Tellus, avidâ bibe mente; coactus
Pleno cui Lucis gurgite Olympus adeſt.

G E-

# GENIUS VASTALLENSIS.

EN! Polus. Hunc, Tellus, avidâ bibe mente; coactus
Pleno cui Lucis gurgite Olympus adeſt.
At dum fert omnem ſortem, dotemque Nitorum,
Annæ Aquilæ titulos occupat iſte meæ?
Stemmata GONZAGÆ agnoſco. Regina Volucrum
Toto implet Vultus ebria Sole ſuos.
Sol cadat: Integrum ſervat Fax vivida cenſum;
Et Nocte in mediâ ſcit reparare Diem.

# GENIUS ROMANUS.

SOl cadat. Integrum ſervat Fax vivida Cenſum;
Et Nocte in mediâ ſcit reparare Diem.
Scit reparare Diem Phœnix poſt fata ſuperſtes,
Adnectens plumis Secula mille ſuis.
Phœnici adſcribit Te Phœnix Urbium, & Orbis:
Comprobat aſſenſu Romulus ipſe ſuo.
Ingredere, o Princeps. Te Sol, Te Regius Ales,
Te Mars, Te Phœnix; Te Polus omnis amat.

JU-

# J U . I T E R.

## Epigramma Coronarium.

Sidera (ſi quis honor) Stellæ laxate recenti
Officioſa ſinum; ſi tamen ille capax.
Surge Heros. Ubi Sol dubio titubaverit Axe,
Supplebis: Diſcet certior ire Dies.
Felix exul eat Cœlo Cyllenius ardor;
Pronius Eloquio Sidus &, Orbis, habe.
Hinc Pax; hinc poſitis miteſcent Secula bellis:
Non pote ſub tantâ Luce tonare Furor.
Grande Jubar, cujus radios Pax aurea conflat,
Et non ancipiti Regia Corde Fides.
Ab recto quisquis Virtutum tramite aberras,
Hanc unam Lucem conſule: tutus eris.
En! Polus. Hunc, Tellus, avidâ bibe mente: coactus
Pleno cui Lucis gurgite Olympus adeſt.
Sol cadat. Integrum ſervat Fax vivida cenſum,
Et Nocte in mediâ ſcit reparare Diem.
Ingredere, o PRINCEPS. Te Sol, Te Regius Ales,
Te Mars, Te Phœnix; Te Polus omnis amat.

# *CHARISTERION.*

SPlendida Regalis ſi Munera contulit Auctor,
Difficile eſt Meritis reddere poſſe vices.
Tres tua nobilitant Reginæ Stemmata, Præſul,
Florum, Avium, & Generis Maxima Origo Tui. (1)
Reginæ triplex triplici Rex ergo reponat;
Florum, & Quadrupedum ſcilicet, atque Ducum.
COSMIUS Heroinæ, Aquilæ Leo, Lilia [2] Rubræ
Rubra Roſæ: hæc poterunt par retuliſſe pari.

(1) *Regalem agnoſcit Originem Archintorum Familia.*
(2) *Lilium Rubrum, & Leo Florentiæ Inſignia.*

Digitized by Google

# M OMINA.

*Prolegomenon recitavit*
Laurentius Franceſchi Eques Hieroſolymitanus.

*Orationem habuit.*
Abbas Joſeph Suarez della Conca Eques S. Stephani.

*Carmen brevitatis gratià prætermiſſum eſt.*

In Dialogo.

*Jupiter*. Abbas, & Eques Joſeph Suarez.

*Sol*. Eques Laurentius Franceſchi.

*Mercurius.* Hippolytus Guiducci.

*Mars*. Joſeph Fabrini.

*Saturnus*. Franciſcus Vincentius Baroncini.

*Genius Florentinus.* Joannes Baptiſta Seratti.

*Genius Senenſis*. Joſeph Bertini.

*Genius Vaſtallenſis*. Petrus Antonius Brandi.

*Genius Romanus*. Joſeph Georgi.

*Chariſterion exhibuit.*

Dominicus Donati.

Google

1063.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MG

by Google